



mini apparuit in somnis ei, dicens: Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium: & vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.

Psal.
23.

Offertorium. Tollite portas, principes vestras, & elevamini portae aeternales, & introibit rex gloriae.

Secreta.

DA nobis, quaesumus omnipotens Deus: ut sicut adoranda Filii tui natalitia praevenimus, sic ejus munera capiamus sempiterna gaudentes. Qui tecum vivit & regnat.

Communio. Revelabitur gloria Domini: & videbit omnis caro salutare Dei nostri.

Postcommunio.

DA nobis, quaesumus Domine, unigeniti Filii tui recensita nativitate respirare: cujus celesti mysterio pascimur, & potamur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

Sacerdos, quoniam in die Natalis Domini celebrat tres Missas, in prima & secunda Missa non sumat purificationem, sed in tertia Missa tantum & in prima & secunda abluat digitos in aliquo vase mundo.

